Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA

DE CLAVO,

QUAM

Decreto Gratiosæ Facultatis,

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO,

RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

Professore Medicinæ Ordinario,

PRÆCEPTORE SUO VENERANDO,

PRO LICENTIA

Summos in Medicinâ Honores

legitimè capessendi,

Quoad partem primam

Publico Eruditorum Examini

submittit

PETRUS KECK, Giengensis,

Ad d. Septembr. h. lq;. sol.

TUBINGÆ, Typis JOHANNIS GRÆZII,
ANNO M DCC III.



In nomine Jesu, pro miseris crucifixi.

THema nostrum, cujus modò tractationem ordimur, liberandum ante omnia est ab æquivocatione; Clavus enim hîc non sumitur (juxta ductum *Paul. Zachiæ* in quæst. med. leg. l. 2. t. 3. q. 15, & *Brunonis* in Lexic. Medic.) pro morbo uveæ oculi tunicæ, qui tumoris speciem præ se fert, clavo non absimilis: nec pro tumore pedis, qui rotundus, candidi coloris, clavorum capitibus non absimilis, in ejus extremitate communius enascitur, &c. Sed pro dolore capitis, determinato ad certam ejus partem.

Ratio hujus nominis fundatur in sensu ægrorum, & modo quo suum dolorem exprimunt, aut simili, ab instrumentis mechanicis desumto, quo suas passiones declarant; Clavus enim juxta *Tornamiram* & *Valescum* apud *Forestum* in obs. 62. l. 9. dicitur ad similitudinem clavi ferrei, quia videtur, quod clavus aliquis in parte capitis figatur, aut quod clavo aut acu pungantur ægri. Ejusdem rationis est aliud nomen, *Jaculum*, Injaculatum, quo hemicraniam congeneresque topicos capitis dolores vulgò designari notat *Ludovici* in E N C. A. 10. O. 34. ubi per anticipationem juvans ludicrum.

Novitas nominis ducit ad synonymias, & affectus congeneres; Quanquam enim nomen clavi tanquam affectûs in scriptis veterum non æquè occurrat, res tamen ipsa sive passio, proculdubio omni tempore miseris ægris nimis nota, medicos latere non potuit. In ascriptis *Galeni* finitionibus *Cephalæa est passio, quæ per quosdam circuitus intolerabilem capitis dolorem affert; quo circa & aures sonant, & rubent oculi, ac prominent; simul verò distenduntur ægris venæ frontis, & rubor in facie est.* In iisdem audit *Heterocrania dolor, qui modò in parte sinistrâ capitis, modò in dextrâ ac-*

cidit, ac quandoque intensiones, interdum remissiones infert. Eidem Pergameno in d. loc. affect. & comp. pharm. sec. loc. *Cephalæa est inveteratus & ægrè cedens capitis dolor, qui ex facili occasione maximas exacerbationes habet, adeò ut neque strepitus, neque vocem vehementiorem, neque lumen splendidum, neque vini potum, neque odoramenta caput replentia perferre possint, neque item motum, sed in quiete & tenebris ob dolorum magnitudinem decumbere velint; habetque hæc affectio aliquando exacerbationes & intervalla, velut comitiali morbo apprehensis*, &c. Talia utique si coarctentur magis topicè, clavo sanè conveniunt. Quibus adde τὸ πονέειν κτ̀ τὸ ἥμισυ τῆς κεφαλῆς, de quo ex *Hippocratis* epidem. lib. 5. & 7. infrà.

Nam sub cephalæâ aut hemicraniâ vel potest comprehendi vel latuit olim clavus, & adhuc passim ad hanc revocatur; Quapropter & hîc non quidem istas præcisè, quàm potius quà cum clavo vel easdem vel affines, tractare & huc advocare subindè juvabit. Uti ergò cephalæam hemicrania ad semicaput, (termino *Welschiano* è dec. 6. cur. 5.) ita hanc clavus ad minus spatium restringit. Cui per consequens *Ovum*, terminus iisdem Autoribus usurpatus, *Etmüllero* quidem inter suturam sagittalem & temporalem conclusus dolor, si dicatur ad similitudinem ovi gallinæ, & pariter unam modò, sed quamcunque capitis partem, occupet, (uti & *Nux*) qualiacunque synonyma erunt; si verò ad similitudinem armaturæ sive galeæ, ad cujus modum dolor caput comprehendit, cephalæam exprimet latiorem, de quâ nomenclaturâ, & de monopagiâ, plura vide sis apud *Forestum*, l. c. Sic inter dolores exili loco & foco comprehensos, de quibus peculiari observatione *Pechlinus*, clavus figitur ad certam capitis particulam, eò velut omni vi adactus, quamvis vagorum motuum & ulterioris extensionis exempla in sequentibus non sint defutura.

Hujus clavi historia undique ex practicorum observationibus conquisita, cum accessu variorum hinc inde innotescentium, longam malorum phænomenorum dedit seriem, suo jam deducendam ordine. Inprimis fidem merebuntur experti Ruperti, hoc est, Medici, qui ipsi hemicraniæ aut clavo obnoxii de propriâ passione scripserunt, in specie *Carolus Piso*, *Pachequus* in observationibus Riverianis, *Mauritius Hofmannus*, *Richardus Mortonus*; Legi omni-

nò merentur quæ consignavit *J. G. R.* in app. ENC. D. 3. A. 6. officio medici sic defunctus, sc. quæ, quanta & qualia ipse fuerit passus, historiâ de hemicraniâ periodicâ singulari solandæ miseriæ humanæ adcuratâ: Quibus adde, qui talium ægrorum fata se prætendunt notasse specialius, uti quidem *L. Bellinus* consimilem hemicraniam raræ constitutionis à se diligenter observatam inter morbos capitis exposuit; plures in decursu laboris laudari merebunt. *Joh. Ant. van der Linden* historia & consilium de hemicraniâ menstruâ nobis adhuc est in desideratis.

Ex phænomenis antecedaneis causa vel occasio primò prima *Pisoni* fuit corpus & in specie caput contra injurias aeris frigidi non benè munitum, tali enim tempore meminit se primùm hemicraniâ fuisse inopinatò percussum; clavus capucini in consiliis *Bened. Sylvatici* originem habuit ab aere frigido & humido; Eques *Jobi à Mekren* in observ. à casu in os parietale cœcus & hemicranicus fuit factus; *M. Hofmannus* ex cursu celeriori præceps factus frontis supra supercilium tantam contusionem in platea fuit passus, ut ex cicatricis magnitudine facilè conjicere potuerit ad calvariam penetrasse contusionem; Æger *Bellini* tali affectione laborare inceperat ex casu in caput ad solum ex altiore arbore; *Rabnero* suam immisit deus à lectione die intensè æstivo in librum pronâ facie obdormienti: Apud alios de quâcunque violentiâ & cicatrice altum est silentium.

Ætas patientium varia legitur, adultorum quidem, uti *Foresti* amita cum galeâ consenuit, tempus tamen primum quibusdam fuit satis tenerum, à quo semel concepta passio hæsit in multos annos. Lapsum illum *Hofmannus* sustinuit anno ætatis quarto vel quinto; æger *Bellini* septennis, *Piso* nondum ephœbus laborare cœpit: Quorundam ita clavus illi morborum censui adscribi debet, de quibus *Cous* aph. 28. s. 3. scribit, quòd si pueris remanserint, neque circa pubertatem soluti fuerint, aut fœminis, cùm menstrua erumpunt, inveterascere soleant. Mediam ægrorum suorum ætatem memorat *Lentilius* in app. ENC. D. 2. A. 10. *Rabnerus*, postquam viginti duos annos à malo liber vixisset, scribit, quæ olim per viginti tres annos passus fuerat, igitur benè adolescens creditur, cùm primò corriperetur.

Quia hic solus clavi sive hemicraniæ suæ mentionem facit

tanquam in filium duodecennem per dispositionem hæreditariam derivatæ, seque tum exserentis, proin & hæc circumstantia hîc stare poterit; ut & illa, quando suum temperamentum, ab aliis ferè neglectum, sive constitutionem sui corporis ab ineunte ætate graciliorem & biliosam exprimit. Utique participationem quandam tincturæ biliosæ aut melancholicæ è plerisque historiis colligas; in obs. *Jacotianis* Riv. comm. n. 12. quinquagenarius gracilis & raræ texturæ, ad iram maximè proclivis, laborasse legitur. Habenda etiam est ratio sexûs, quia clavus peculiare prædicatum invenit apud *Sydenhamum*, in ep. d. aff. hyst. quo audit hystericus; interim non in solas fœminas cadit, quia prostant historiæ virorum, quos clavus afflixit non minus, si non magis, exquisitus, fixus & constans.

Sequentium frequentium exacerbationum occasiones suppetunt variæ: Quod enim *Galenus* de cephalæâ dixit, ægros ex facili occasione noviter pati, id de clavo suo plerique omnes perhibent. Sic malè audit locis citatis solis ardor caput feriens, odor croci, balsamorum fragrantium, refrigeratio frontis ab asperiore vento, temporum mutationes, de quibus in specie multa passim per laudatum opus *Piso*, & *Bellinus*, qui vergentiæ ad austrinas, pluvias, humidas constitutiones meminit, (cùm tamen *Poterius* C. 3. c. 8. suos temporibus ut plurimum siccis doluisse scribat) item æstate rarius, hyeme acriore frequentius suo ægro malum fuisse, ut anemotropos vocari clavus æquè possit ac illa hemicrania *Hanneji* in Act. Hafn. v. 4. obs. 66: Adde errata nimis quàm leviuscula, magni tamen ad dolorem momenti, *Rabneri*, si caput in somnis situ proniore jacuerit, si mitella dormienti deciderit.

Assumta diversa diversis clavum revocarunt: Usus vini, primò cujusvis, parcissimus licet, dein sulphurati, & cerevisiæ crassioris, pinguium, actu calidorum aut aromatibus conditorum, &, quod idiosyncrasiam individualem sapit, cancri fluviatiles non in primâ, sed solùm in ultimâ mensâ degustati. Ex jejunio paroxysmos primò frequentiores, dein progressu ætatis rariores citat *Hofmannus*; Apud *Willisium* d. an. br. fames in cœnâ & appetitus ferè caninus præsagiit mulieris paroxysmum cephalalgicum; Jejuno an cibis refecto ventriculo plus sævierit malum, nescit *Rabnerus*; Qui inter motus corporis specialiter meminit dolorificæ fortioris sternutatio-

tatio-

tationis & emunctionis ; Eidem quoque exprobrantur lucubrationes, intensiores in sublimioribus studiis cogitationes, animi perturbationes.

In hunc causarum notoriarum censum venit ex retentis *Bellino* & *Pisoni* alvus sicca, nares siccæ; menses intempestivè sufflaminati virgini apud *Pechlinum* malum hoc creaverant; Matrona, de cujus hemicraniâ Chir. *Bailly* in sepulcreto *Boneti*, ab anno 18. fluxum hæmorrhoidalem passa fuerat, capucino *Sylvatici* molestæ hæmorrhoides dicuntur, sed earum habitudo ad dolorem non exprimitur. *Rabneri* malum à suppressione familiaris & consuetæ hæmorrhagiæ ex cavo dentis & naribus cœpisse legitur; Famula *Foresti* si vernam venæsectionem & frequentem purgationem prætermisisset, levissimâ ex causâ modò monopagiam, modò hemicraniam incurrebat.

Hæc uti jam declinant ad res præternaturales, ita in earum censu pergentibus plura clavi antecedanea occurrunt: Hystericarum illas, quæ chloroticæ sunt, clavo obnoxias determinat *Sydenham*; His si ad latus ponantur Hypochondriaci, quorum famosi etiam sunt dolores periodici varii, non contra mentem ejus id fiet, nam eos ipse in epistolâ hystericis associat. Verba quondam miseri de suâ cephaleâ hypochondriacâ, quæ solebat descendere ad narium radicem, & habebat obversantes oculis splendores, hæc erant: *Patior vim moti velut cunei ab epigastrio aut hypochondrio sinistro ad dextrum, inde ad præcordia, hinc ad cranii parietes, summo impetu, unde omnes nervi à capite uno tractu ad stomachum, ad umbilicum, ad extrema etiam celerrimè contorqueri & circumvolui videntur.* Huc referri potest colica illa anoterica, quam *Stahlius* in d. podagr. habet, quandò fœminæ prætendunt, molestias suas ab infra irrumpere in caput, & quia luunt prægressum defectum evacuationum inferarum, uti vicissim liberantur à clavo purgatæ infrà, etiam sub motibus torminosis. Utique circa hemicraniam *Paracelsus* vult semper quæri, *ob schloßvveh* adsint, *schüsse* in ischiâ, *lendenvveh.* &c. *In nephritide, quâ parte est calculus, eâdem succedit in capite hemicrania*, scribit *Baglivus*, quod & *Bartholinus* in epist. memorat, sc. in nonnullis calculosis ejus esse lateris hemicraniam, quâ parte rerum calculus se urinæ opposuit, doloremque fecit. De cætero in obs. 91. c. 2. *Riverii* post luem veneream curari visam

dici-

dicitur cephalæa virum in mutationibus tempeſtatum, ac præcipuè ineunte autumno, graviter excruciaſſe, & in eodem loco clavi inſtar ſemper infixam permanſiſſe; ſimilem ſuſpicionem incurrit alius apud *Fernelium*, intolerabili ſuo capitis dolore, ubi pars dolens in ſyncipite magnitudine digitum non ſuperabat: Conſimile quid *Rhodius* habet, & alibi obſervat, verminoſum diu & mirè capite tortum inter alia tæniam per aluum dejeciſſe, cui adde quod in obſervatione ſecundâ *Spindleri* de cephalalgiâ ex verme lato legitur; nam talia & nobis ſuppetunt infrà.

Clavus dolor eſt, ergò in phænomenorum conſtituentium & comitantium ſerie primus notari debet Locus: Parva illa pars patiens, quæ vel digito interdum tegi poſſit, ſpecialius determinatur à *Tornamira*, quod ſit communiter ſupra oculum in ſupercilio, à *Valeſco*, quod ut plurimum hæreat ſupra vel prope ſupercilia; (ponite mortales tot miſeriis obnoxii ſupercilia.) Hic præcisè locus fuit paſſionis apud *Foreſtum*, *Hofmannum*, *Crugerum*, *Rabnerum*, cujus hiſtoria regiæ, officinæ, centri dolorum in medio ſupercilio defixi meminit, *Elsholtius* autem dolorum principium deducit ab occipite, dein progreſſum ad ſynciput, inde tela ſævitiæ per frontem ad oculum, atque adeò fuiſſe hemicraniam, gradu ſolum doloris intenſiore circa oculum, quàm alibi, prætendit. An eò ſpectat illud *Welſchii* dec. 4. cur. 2. dolorem ejusdem generis, qui totum cerebrum obſidet, in unam tamen ejusdem partem ſi magis incumbat, alterius dolorem obſcurare poſſe? Sed ad ſedem præciſam doloris iterum: *Pechlinus* pari ſuorum ægrorum illam ſupra canthum oculi majorem, *Piſo* anticum caput & frontem, *Platerus* ubi oſſa nuda & excarnia prominent, *Helmontius* in duumvir. frontis verticem aut cornu, unius taleri circino, ſynciput magnitudine digitum non ſuperans, *Formius* in obſ. Riv. com. num. 31. & *Welſchius* in mictominem. tempora, quæ *Galenus* hemicraniæ dederat, unus *Foreſtus* etiam in parte occipitis clavi quid obſervavit & deſcripſit; *Bellinus* autem quid & quantum de capite ſui doluerit, omiſit.

Plures citatorum caſuum latus capitis dextrum ita dolens habent, quàm ſiniſtrum, ſiniſtrum tamen fuit illud *Baillii* & *Mortoni*. Solet enim, non ſemper, tamen ſæpè locus eſſe conſtans, & dolor fixus, non facile transgredi in latus alterum, ſed memor manere

nimis

nimis quàm accuratè certæ ſuæ ſedis. Miſerabile nimis fuit fatum illius apud *Mekren*, cui non locus contuſus, ſed ſucceſſivè doluit tempus, naſus, dens, labium, auris unius lateris, dein ſub ipsâ ſpe remedii ex chirurgiâ tranſiit in hemicraniam, odontalgiam, otalgiam, tandem rediit in modum priſtinum. *Sylvaticus* dolorem in ſupercilio à compreſſione ad ſuturam coronalem, mox & ad muſculum temporalem propagatum notat, *Galeno* quidam ad tactum dolent, *Rabnero* videbatur compreſſio majus minari periculum.

Speciem doloris clavus infixus exprimere dicitur, unde apud *Sylvaticum* dolor eſt terebrans, apud *Hofmannum* pungens, *Piſonem* graviter premens & contundens, apud *Galenum* præter diſtenſionem tanquam à malleo pertundi ſibi videntur ægri, qualis etiam malleatio ferè menſtrua, heu! quâm miſerabilis, legitur in Act. Hafn. v. 2. o. 62. *Rabnerus* habuit per gradus ſtuporem velut à gravedine, dein obſcurum pulſatilemque dolorem & pungentem, hinc ſenſum immaturi apoſtematis, tandem poſt ſtricturas acutiſſimi & per varios anfractûs ſubitò diſcurrentis doloris, ad inſtar fulgurationis, lancinans & ad rhythmum cordis pulſatile malum: adde pulſationem temporalem *Jacotii* O. 12. Liceat hâc occaſione transſcribere verba *Galeni* ex l. 2. d. loc. aff. ubi docet, quid requiratur ad deſcribendum ritè dolorem: *Judicium perdifficile eſt: Nam plerumque aliis nos credere oportet, qui ſuos affectus ob animi mollitiem neque conſequi planè, neque ſi conſequantur, eos enarrare poſſunt, aut quia oratione, quid patiantur, declarare omnino nequeunt, (quippe non parva facultatis ea res exiſtimatur) aut quia affectus ipſe ineffabilis eſt. Ergò relinquitur, quod nemo ſingulorum dolorum ſpecies conſcribere poſſit, niſi ipſemet paſſus fuerit, ſitque medicus, qui interpretandi aliis facultatem habeat, & qui prudenter ſine mollitie comprehendere poſſit ſuos affectus, dum laborat.* Huc ergò illud Fr. Sylvii apud *W. ten Rhine* p. 135.

Gradus doloris perhibetur paſſim magnus, imò maximus. Iterum citandus hîc eques *Mekreni*, quia horrenda paſſus. Communiter prehenſi jacent, lecto affixi; *Bellini* æger ne minimum rumuſculum ferre potuit, aut dubiam luculam, aut loqui tantillum, quin neque tangi absque dolore in quavis corporis parte, ſudabat frigidum, &c. ſe ne cogitare quidem tum quidquam potuiſſe, poſt-

modúm asseruit; Ægro *Pechlini* dolor lacrymas & quævis impatientiæ signa, generoso alioquin & ad aspera quæque obfirmato viro, extorquebat; Ægrum *Jacotii* dolor à vertice ad tempus dextrum ter quaterve in anno recurrens adeò cruciabat, ut in desperationem ferè adduceret; *Rabnerus* memorat tædium vitæ, & ejulatûs torturâ motam viciniam ad congemendum; *Lentilius* metum movendæ mentis, consciscendæ sibi mortis, ut omninò huc spectet illud *Borrichii* in A. H. 5. p. 166. *quid faciat interdum dolorum immanitas.* Noster tamen *Galenus* in d. comp. pharm. sec. loc. l. 2: *Ob capitis dolorem vehementem nemo unquam animi deliquio comprehensus mortuus est, neque se ipsum occidit, quemadmodum quidam coli dolore vexati fecerunt. Utcunque enim doleant, longè minor ipsorum dolor est, quàm eorum, qui coli, aut auris, aut oculi, aut dentis, dolore vexantur.*

Ratione temporis clavus ut dictum dolor longus est valdè, tædiosus & diuturnus, quo laboravit æger *Pechlini 3. Sylvatici 8. Piso 14. Pachequus 15. Rabnerus 23.* annos, imò apud *Schenkium* hemicrania 40. annorum, tamen tandem curata, legitur. Intelligendum id est de dolore non continuo, sed periodico: Paroxysmorum autem ordines & tempora variant. In *Pechlino* legitur dolor singulis annis semel atque iterum per tres quatuorve septimanas, & spatium quatuor horarum, cum statis quotidiè redeundi intervallis, quæ ne minuto horæ mutarint; *Hofmannus* per intervalla nunc breviora nunc longiora, à pueritià ad consistentem ætatem, clavum passus, vix post 24. horas remissionem paroxysmorum solebat obtinere; *Bellini* æger per vices incertas semel, bis, quaterve singulis mensibus, aliquando per solidos menses nunquam passus, 24. horas, & identidem ulterius habuit; *Rabnerus* trimestribus & quandoque brevioribus vicibus per 8. vel 10. dies quotidie 6. 8. horas. Mirabilis periodus per multos & varios tam annos quàm dies legi meretur in ENC. A. 6. descripta per *S. Schulzium*; De hemicraniâ, malo valdè chronico & pertinaci aliàs, & facilè recrudescente, brevi tamen superatâ, gloriatur *Mortonus*, laborarat autem quotidiè ab octavâ ad quintam vespertinam; apud Schenkium *Cardanus* narrat dolorem supra nares, qui ad meridiem crevit, à meridie decrevit; Alium Bartholinus in ENC. 1. O. 51. qui ad horam duodecimam terminum solebat attingere; Alium *Langelottus* l. c. A. 7. O. 8.

qui

qui cum ſole oriebatur & occidebat, ſub meridiano autem ſummè exaltatus: confer. cit. app. A. 10. D. 2. & mictomimemata *Welſchii* in app. A. 5. cent. 2. §. 33. Plenilunii tempora ſibi ordinariè doloroſa per aliquot dies horis matutinis in dextro ſupercilio aſſeruit nobis faber. Itaque non ſuppetit, ex quo clavus potius nocturnus, quàm diurnus dici poſſit.

Qualis ad aſpectum ſit caput & pars, quam occupat clavus, pauci hiſtoricorum exprimunt; *Crugerus* in ENC. D. 2. A. 9. O. 41. meminit rubore ſuffuſi oculi, *Rabnerus* rubentis ocularis muſculi, deindè tumentis & convulſi; *Galenus* ſuprà cephalææ ruborem & prominentiam oculorum, diſtenſionem venarum frontis, & ruborem faciei dedit; Quos membrorum luſus per dimidium corporis peculiari obſervatione illuſtravit *Pechlinus*, in ſuo capite pariter oſtendunt perſonæ hemicranicæ, quibus ſecus, ac in illâ definitione cephalææ, unum fortè latùs friget, alterum calet, unum ſiccum eſt, alterum ſudat. *Poterius* l. c. de rarâ & non obſervatâ doloris ſpecie in facie agit, citra ullum tumorem, ruborem, aut ſignum evidens; quod multorum clavo convenit.

Plura clavo conjuncta phænomena ſunt hæc: *Sylvaticus* fulgurum ægri oculo obverſantium meminit, item impeditæ maſticationis; concutitur aliquando, ſcribit de ſuo ægro *Bellinus*; convellebatur muſculus ocularis *Rabnero*; Qui etiam vertiginem patiebatur, quæ cum tinnitibus apud hypochondriacos aliàs frequens eſt; de quâ tamen alii ſilent, quidam à nobis quæſiti neutrum ſe pati aſſeruerunt. *Piſo* quorundam hemicraniæ convulſivos & evidentes totius abdominis dolores addit comites, & in nobili virgunculâ varios artuum & capitis convulſivas torturas obſervavit.

Habenda etiam eſt ratio urinæ & ſanguinis; quanquam enim plerique hæc prætermiſerint, ſuppetit tamen apud *Schenkium* urina ſub dolore meridiano limpida, ſub remiſſione veſpertinâ tinctior; apud *Mortonum* urina multum tincta & contentis ſaturata ſpeciem aquæ cum pulvere lateritio commixta ſemper (quod non æquè apud noſtros) præ ſe ferebat. Sanguinis è venâ ſectâ miſſi conditionem ſolus declarat *Rabnerus*, nempe pulcram, quem *Timeus* fuerit arbitratus peccare nimiâ laudabilitate. Quæ de *diabete hypochondriacorum periodico*, & *de ſanguine florido* in diſputationibus ſub Præſide quondam habitis ſparſim leguntur phænomema, magnam huc ſpectant partem.

An toties febricitant clavo fixi? *Welſchius* l. c. febriculam hemicraniæ comitem facit, eandem *Piſo* colligit ex ſiti & pulſu, (alio tamen reſpectû urget hemicraniam nec in principiis tertianæ nec eryſipelatis ſemper vellicare ægros.) quem *Bellinus* in vehementiâ doloris inæqualem cum ſudore frigidò obſervat: Horis illis paroxyſmorum febriculoſi quid inceſſere videbatur *Pechlino*, *Mortonus* in ſe ipſo nulla febris præſentis indicia agnovit, deliteſcentiam verò præter urinam ex periodis &recrudentiâ ſuſpicatus eſt; aliam autem ſuperaddit, quæ ex morâ paroxyſmorum longiore tandem quadantenus febricitare inceperit. Sine febre ac ſiti aut phlogoſi ullâ dicitur ille dolor à *Jacotio* l. c.

Sunt inprimis duo phænomena, quæ clavo ſuperveniunt, in ſpecie memoranda: Primò vomitus, cujus quanquam omnes hiſtorici non faciant mentionem, potiores tamen omni jure habent rationem; *Sydenham* inprimis, *Rabnerus*, qui ructus, nauſeam ſolùm vomiturientem habuit,, *Piſo*, qui copioſam aquam lentam, inſtar albuminis ovi, bile affuſam rejecit, *Hofmannus*, vomitum bilioſum paſſus, *Bellinus*, præter conatus ſæpè irritos, aquam limpidam, viridem, inſipidam, ſalſam, amaram rejectam notans; omnia ſc. hæc extorta per vehementias paroxyſmorum.

Secundò ſomnus: Hoc *Piſo* paroxyſmos ſuos terminari ſolitos dicit non modò, ſed & addit, quòd ſomnus omnibus hemicranicis ſenſim obrepens doloris non injucundum carmen ſeu faſcinus eſſe ſoleat; Videtur omninò huc ſpectare ſoda ſubethica Arabum. *Williſius* duas matronas ſub finem paroxyſmorum cephalææ in ſomnum cogi, ſomno gravi & perturbato ſuccumbere, notavit.

His adde hæmorrhagiam narium, de quâ, cùm plures ſileant, *Hofmannus* tamen teſtatur, dolores non niſi poſt vomitum bilioſum & hæmorrhagiam remiſiſſe. Poterunt ſi placet conferri vicina hæc duo ſymtomata clavi & hæmorrhagiæ narium: Hæc enim etiam interdum particularis reſtringitur ad narem alterutram, periodica obſervatur & conſuetudinalis, cietur irâ, vino, ſimilique causâ ſæpè levi, ſuccenturiatur defectui evacuationum aliarum, fovetur viſcerum è directo reſpondentium vitiis, & audit hypochondriaca, hyſterica, doloris cauſa eſt remedium.

Quoad cætera, ſcribit *Mortonus*, firmè valebam, & cum appetitu integro muniis ſolitis fungebar: Habet enim clavus ut cephalææ

phalæa *Galeni* intervalla, interceditque tempus aliquod, quod omninò accuſari non poteſt, unde *Lentilius* de ſuis ægris l. c: ceſſante paroxyſmo, quocunque vellent, ibant, nec ullum ſui veſtigium dolor relinquebat; *Bellini* æger, ubi dolor evanuerat, artubus vix conſtabat, omninò viribus fractus. In genere igitur, ut phænomena etiam conſequentia claudamus, moleſtus ità potius multis fuit Clavus quàm lethalis, nec legitur inflammatio aut ſuppuratio extus ipſi in fronte vel ſupercilio vel temporibus ſuperveniens aut erumpens, vid. tamen *Borell.* C. I. O. 39. *Piſo*, qui hemicraniam epilepſiæ & graviſſimorum capitis affectuum prodromum obſervavit, (qualis etiam filiola O. 37. c. I. *Riverii.*) in proprio dein corpore poſt multos annos, cum hemicrania emaneret, ſævos lumborum & abdominis cruciatus, etiam periodicos, ſuſtinuit, nephriticus; *Hofmannus* podagricus. Omninò autem huc ſpectat illud *Wepferi* in d. cic. aq. hemicranias & cephalæas ſæpè pluribus diebus, imò ſeptimanis ac menſibus, ſummopere excruciare ægros, quorum nec centeſimus inde epilepſiam patitur; confer theſin decimam Diſp. *B. Parentis* de frequentiâ epilepſiæ.

Sequuntur in ſerie phænomenorum Juvantia, quatenus innoteſcunt per experientiam. Diſcat & ſapiat æger ægri periculo! Juvit utique & profuit contra clavum ante omnia omiſiſſe & fugiſſe illud omne moleſtum, quod prius inter cauſas adduximus, & quod ad bona & mala ſuo corpori ut decet attendentes vix latebit. Sic in ſpecie *Hofmannus*: *Per ſpatia bimeſtria & longiora doloris illius immunitatem facilè mihi promittere poſſum, dummodò cereviſiæ craſſioris, lupuli floribus conditæ, & vini recentioris, aut ſulphuris fumo inebriati uſu abſtineo.* Laudes etiam diætæ ſunt apud expertum *Piſonem*; Amita uxoris *Foreſti* referebat, ſe à diuturno & conſueto per plurimos annos galeato dolore plurimum ſublevari, ſi pomum frigidum, crudumque in fine menſæ comederet, nullo deinde alio cibo ſuperingeſto. *Cephalalgiam pacat novus cibus*, ſcribit *Helmontius*, verè de crapulâ potius, aut quocunque alio dolore, quàm de clavo, ſub quo nil aſſumi poſſe, aut omnia aſſumta revomi non unus retulit, ſuperato demum dolore, redit appetitus.

Juverunt in paroxyſmo ipſi loco dolenti admota: In ENC. 2. A. 9. O. 141. doctorem juris, præmiſſis univerſalibus & aliis, tandem unicâ cucurbitulâ ipſi loco affecto in paroxyſmo adhibitâ ab he-

micraniâ, singulis diebus certâ horâ recurrente, liberavit *Dan. Crugerus:* Hirudinibus item in ipso paroxysmo parti dolenti applicari jussis virginem & consiliariũ ita juvit, ut dolores non redierint. Quia hic ultimus videtur fuisse ipse *Rabnerus*, quapropter faustus hirudinum usus prolixè meretur legi in allegatâ ipsius historiâ; Quibus præter testimonia *Heurnii* & *Zacuti Lusitani* accedat illud *Welschii* in mictomim. C. 3. §. 11. *Langelotti* in ENC. A. 7. O. 8. ubi ad multam quoque experientiam de salubri hirudinum suctu provocat. *Pechlinus* tamen loc. cit: *Id verò ex praxi constat, ut aliquandò vel hirudinum suctu aut vesicatorio multum illi dolores minuantur, vix tamen esse, ubi mulierum cephalæam inveteratam expugnare in totum possis.* Adeò nil universale est; Nam & dolorem viri quondam inter nos non evicit sanguisuga.

Laudem alibi missus sanguis itidem meruit: plures ab hemicraniâ curavit *Borellus* C. 1. O. 61. venâ rectâ frontis apertâ; clavus apud *Sylvaticum* O. 30. cessit sanguinis missioni ex jecorariâ dextri brachii; præsens in obs. *Rhodii* pertinacis hemicraniæ remedium traditur, incisio venæ, quæ inter pollicem & indicem excurrit. Circa arteriotomiam inprimis attendi meretur illud P*arei* chir. c. 4. l. 16. quia in se ipso, magno suo ut ait bono, periculum fecit, & *Riverii* c. 2. O. 56. quia frustrà aliis usurpatis per eam liberata dicitur ægra, sine recidivâ, & *Jacotii* O. 12. quia pariter intra dimidiam horam sublatus dicitur, nec ab eo tempore reversus dolor; Addi potest illud *Formii* in obs. Riv. com. & *Zac. Lusitani* prax. admir. O. 116. *Pachequus* in obs. 37. de se ipso: *Post hemicraniam quindecim annorum, accidit mihi apertio venæ in superiori labio; è quâ singulis mensibus libræ quatuor aut quinque sanguinis ferventissimi, & salsi profundebantur; tædium hoc amolitus sum sectâ venâ brachii è directo labii affecti bis singulis mensibus, & educto liberaliter sanguine, hemicrania cessavit.* Fœminæ apud P*echlinum* menses reversi dolendi pausam fecerunt; In *Hildan.* O. 9. C. 2. inveterata hemicrania copiosâ sanguinis per alvum profusione curata legitur; Quò spectant promissa *Sylvatici* O. 33. de apertione venarum sedalium, semel in mense repetitâ prope plenilunium, ut assuefiat natura huic evacuationi.

Retrorsum traxisse juvit virginem, cujus cephalæa in obs. *Ruyschii* à setaceo applicito cessavit, eodemque remoto recurrit, idque aliquoties: Apud *Hildanum* etiam hemicrania extractione dentium

curata legitur l. c. O. 10. Quis verò plura sustinuit ægro *Mekreni*, qui arteriotomiâ, vesicatoriis, extractione dentis, fonticulo, trepano, curatus an divexatus? Mulier illa apud *Platerum* l. 2. p. m. 347. frustrà trepanum bis experta, melius fatum habuit, cùm tandem fœtum masculum enixa statim ab omni molestia sine ullo medicamento liberaretur.

Farrago externorum, quæ juvisse prætenduntur, aliorum adhuc mentionem facere jubet: Patrem suum *Borellus* frontali ex alb. ovor. cum croci momento curavit; Apud *Schenkium* l. 1. 118. ab hemicraniâ illâ 40. annorum frigidâ sæpius frontem lavans legitur curatus, sed cum subsequâ deglutitionis læsione; Oxyrrhodinon *Pisoni* in paroxysmo sufficiens fuit; Vir illustris in Act. Hafn. V. 5. O. 62. dolores acerrimos strophiolo aquâ frigidâ madido collum circumdans sæpius elusit: Si insidum B. L. stupes remedium, lege *Borrichium*, qui observationem epicrisi exornat. Apud *Forestum* mulier epithemate rad. cucumer. sylv. contra hemicranias inclaruit; apud *Aetium* & veterum plures laudatur euphorbium in his ita dictis frigidis affectibus; ex *Plateri* obs. l. 2. emplastrum de vigo; ex obs. 37. c. 1. *Riverii* empl. vesicatorium raso capillitio caput tegens; & quæ citari possent plura, ut illud theæ *Dolæi*, regium *Burrhi*, &c. Interna plurima præterimus modò.

Juvit etiam quosdam evacuatio per nares: De sanguine supra dictum; *Piso* laudavit inducias dolorum à coryzâ, & prophylacticum ex sudoribus spontaneis præsentissimum; Fœmina *Bailly* non solùm habuit lacrymas copiosas affecti lateris certum indicium paroxysmi ad finem properantis, sed etiam interdum nares è directo multo stillabant sero, ad quam vacuationem per menses integros concessit dolor; pro salubritate hujus evacuationis per nares suppetunt testimonia in disp. d. strict. gland. Exc. D. *Zelleri*, quæ videsis; mixta cruori sanies errhinis obtenda laudem meruit *Lentilii* l. c. Qualibus nixus errhinum commendavit contra cephalæas *Screta* d. febr. castr. p. 215. *Rabnerus* tamen errhina noxia comperit. Inter illos affectus, quos famosus olim circumforanei pulvis rhevmaticus partim in priore statu reliquit, partim in deteriorem detrusit, etiam hemicraniam recenset Præsidis *B. Parens* in disp. d. coryz. sicc. ex quâ & illam in quibusdam indispositionem seri nota, quæ ad fluxus non inclinat, nec errhinis facilè movetur: interim *Galenus* comm. in Hipp. d. hum.

ptar-

ptarmicum juvans dicit aqueo, non bilioso humori. Fluxum aqueum deduxit ad humiliora viciniæ *Pfisterus*, curatâ per salivationem guttâ serenâ cum plicâ & hemicraniâ; ubi confer laudes mercurii, præparati ad evitationem salivationis, contra clavum in pec. diss. *Frid. Hofmanni*. Sed ex naribus adhuc aliud pro clavo; sc. vermes excreti apud *Schenkium* l. c. *Zacutum* prax. admir. O. 7. excisi apud Borellum, sed omissis necessariis circumstantiis, in epilogo observ. vel C.1.O.39.

Contrahenda vel tandem erat prolixior hæc classis, maximè quia aliud est laudari vel usurpari contra morbum, aliud mereri ut referatur inter juvantia, aliud item est remedium paroxysmi unius & alterius, aliud morbi constanter. Duo agmen claudant: Primò *Rabnerus* notat de quartanâ (alio & meliore fato, quàm apud *Forestum* de hem. c. quart. l. c.) quòd superveniens inducias fecerit ferè 18. mensibus: Secundò *Mortonus* totus est in laudibus sui corticis, quo hemicraniam suam, aliàs sub varia tractatione methodica tamen contumacem, citò & tutò superavit.

COROLLARIA.

1. *Familiaris odontalgia gravidis, catarrhosis, aliisve, cum typo interdum febrili, habet quidem occasionem in dente vitioso, sed & ulterius quid in toto, quod eò collimat.*

2. *Quid autem simile habet pollex pedis sinistri, vi cujus in ipso principium sui communius quærit podagra?*

3. *Qui principium hæmoptoës parvo sinistri hypochondrii spatio sibi circumscribi ajunt, quarum partium spasmum, aut motum sanguinis per quæ vasa sentiunt? An è portæ venâ per cavam & cor in pulmones, secus ac prætensa rectitudo ascensûs permittit. vid. Ballon. in cons. & hist. Hagendorn. Wolfstrigel. in A. 1. ENC.*

4. *Dolor in ventre quibusdam parvo item & certo loco periodicus de verme, spasmo, denudatione, introsusceptione movit subindè dubia, ventilanda in conflictu.*

5. *Cùm sibi videretur Galenus terebro perforari in intimo ventre, l. 2. d. loc. aff. specie hâc doloris deceptus lapidem ureteri impactum putavit, sed humor intestino insederat vitreus; rarior causa colicæ inter nos, quàm ut indiscriminatim approbet usum purgantium & carminantium.*

6. *An ad cephalæam & clavum spectat Paulinus ille σκόλοψ τῇ σαρκὶ, paxillus carnis? de quo peculiaris exstat dissertatio inter illas jucundas Medico-philologicas Wedelii.*